



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Tvscvlano Episcopo apostolicæ sedis Legato, & Norvuicensi & Wintoniensi  
Episcopis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

dant in nomine Domini Sabaoth. Datum Laterani v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

**NICOLAO TVSCVLANO**  
Episcopo apostolicæ sedis Legato, & P.  
Subdiacono & familiari nostro.

Epist. 173.  
De denario B.  
Petri in Anglia.

**C**um, sicut vestra discretio plenè novit, singulæ domus totius Angliæ singulos denarios pro censu beati Petri annuatim nobis solvere teneantur, Prælati Angliæ, qui cum nostro nomine collegèrunt, rem invito domino contrectantes, majorem sibi exinde partem non sunt veriti retinere, cum nonnisi trecentas marcas nobis persolverint, & sibi mille vel amplius usurparint. Ut igitur jus Ecclesiæ Romanæ servetur illæ, discretioni vestræ præsentium auctoritate districtè præcipiendo mandamus quatenus prius recipientes ab eis denarium ipsum, prout hæcenus exsolverunt, & eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes, firmiter postmodum ex parte nostra injungatis eisdem ut residuum cum integritate persolvant. Non enim videmus quo jure valeant se tueri, cum nec concessionem possint ostendere à sede apostolica sibi factam, nec centenariam contra Romanam Ecclesiam præscriptionem probare, maximè si tempora schismatum subducantur. Si tamen de jure voluerint experiri, præfigatis eis terminum competentem quo per responsales idoneos nostro se conspectui representent, quicquid juris super iis habuerint ostensuri, protestatione præmissa, quòd si judicio duxerint contendendum, nos quicquid hæcenus est subtractum, in ipso judicio repetemus. Datum Laterani v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

vide lib. 12.  
epist. 92.

**TVSCVLANO EPISCOPO**  
apostolicæ sedis Legato, & Norwicensi  
& Wintoniensi Episcopo.

Epist. 174.  
Scribitur pro  
Richardo de  
Marisco.  
Fuit is postea  
Episcopus Dunelmensis ann.  
1129, ut docet  
Matthæus Paris.

**C**um quidam Pontifices & Ecclesiarum Prælati de Anglia, qui à dilecto filio Richardo de Marisco jamdudum regis obsequiis insudante in multis existimant se offensos, in quibus fortè culpabilis non existit, moliantur eidem, sicut accepimus, gravamina irrogare, nos ipsi volentes super hoc paterna sollicitudine providere, fraternitati vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus quoslibet molestatores ipsius ab ejus indebita molestatione per censuram ecclesiasticam ap-

pellatione postposita compefcatis. Quòd si non omnes iis &c. Vos denique fratres Episcopi &c. Datum Laterani v. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

**TVSCVLANO EPISCOPO**  
apostolicæ sedis Legato.

**L**icet olim duxerimus providendum ut Clerici Angliæ, qui pro discordia inter sacerdotium & regnum exorta excommunicationis fuerunt vinculo innodati, cum litteris venerabilis fratris nostri Stephani Cantuariensis Archiepiscopi S. R. E. Cardinalis rei veritatem plenariè continentibus ad apostolicam sedem accederent absolutionis beneficium petituri, & dilectus filius Richardus de Marisco Clericus Regis sine hujusmodi litteris ad nostram venisse præsentiam dinoscatur, quia tamen non creditur id ex contemptu fecisse, sed ejusdem Regis potius urgente mandato, qui ad nos cum festinantia destinabat eundem, nolamus ut ea occasione ab aliquo molestetur, maximè cum rationis & aliis regis negotiis impeditus, facile non valeat super hoc denuo ad sedem apostolicam laborare, propter quod nos sibi de speciali gratia super præmissis fecimus beneficium absolutionis impendi. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si eundem propter hoc ab aliquibus contigerit molestari, tu eos ab ipsius molestatione, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compefcas. Tu denique, frater Episcopo, super te ipso &c. Datum Laterani ut supra.

Epist. 175.  
Super eodem.

**RICHARDO DE MARISCO**  
Archidiacono Norumbriæ.

**S**acrofancta Romana Ecclesia &c. usque concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus, ut donec te dignum reddideris, apostolica valeas protectione gaudere. Nulli ergo &c. nostræ protectionis &c. Si quis &c. Datum Laterani 11 Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Epist. 176.  
Recipitur sub  
protectione B.  
Petri.

11  
11